



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 1. Corpus & Sanguis D. N. J. C. continentur-ne realiter & verè in Sacramento Eucharistiæ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

CAPUT V.

De Præsentia reali Corporis & sanguinis  
Domini nostri Jesu-Christi in Eucha-  
ristiæ Sacramento.

Quæst. I. **C**ORPUS & sanguis Domini  
nostri Jesu-Christi continentur-  
ne realiter & verè in Sacramento Eucha-  
ristiæ ?

Resp. Est unum ex præcipuis Fidei nostræ  
articulis, Corpus, & sanguinem Christi Do-  
mini verè, & realiter esse in Eucharistiæ Sa-  
cramento. Hoc autem probatur primò ex ver-  
bis, quibus usus est Salvator noster instituens  
hoc Sacramentum. Lucæ 22. *Hoc est Corpus  
meum quod pro vobis datur. Similiter & Ca-  
licem postquam cœnavit, dicens: Hic est Ca-  
lix novum Testamentum in meo sanguine, qui  
pro vobis fundetur.*

Quare sanctus Cyrillus in hæc verba ait;  
*Non dubites an hoc verum sit, sed potius sus-  
cipe verba Salvatoris in Fide; cum enim sit  
veritas, non mentitur.*

S. Cyril. tom.  
4. Bibliot.  
fol. 138.

Neque dici potest, hæc verba intelligenda  
esse figurativè, ita ut cum dicitur hic Calix  
( scilicet quod continetur in hoc Calice ) pro  
vobis fundetur; sermo sit de vino, non autem  
de sanguine Salvatoris, cum constet vinum  
non fuisse pro nobis effusum, sed ipsum san-  
guinem.

Et Divus Paulus 1. ad Corinth. cap. 10. ait,  
*Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne  
communicatio sanguinis Christi est? Et Panis  
quem frangimus nonne participatio Corporis  
Domini est?*

S. Bonav. in  
4. dist. 10.  
q. 1.  
Dici nullatenus potest, hæc Apostoli verba accipienda esse figurativè, ut notat sanctus Bonaventura, qui exponens hæc Apostoli verba, *Panis quem frangimus Corpus Domini est*, ait: Ergo etsi dicas quod hoc similiter dicitur per significationem; contra Apostolus postea infert cap. II. Itaque qui manducat & bibit indignè, reus est Corporis & sanguinis Domini. Sed si hoc verum esset, quia signum: tunc similiter quia hæc vox, Christus, est signum, qui pronuntiaret in peccato, esset reus Corporis & sanguinis Domini; quod falsum est.

Homil. 24. in  
Epist. 1. ad  
Corinth.  
Et Divus Chrysostomus explicans præfata verba, Calix benedictionis, ait; *Horum verborum hæc sententia est, quod est in Calice, id est, quod à latere fluxit, & illius sumus participes.*

Sufficit pro nunc, ne dicamur velle texere controversiam, afferre unam sancti Augustini auctoritatem, quem præcipuè Patrem vellent Hæretici in suas pertrahere partes.

S. Aug. Con-  
cione 1. in  
Psalm. 33.  
Hic igitur Ecclesiæ Doctor explicans hæc verba; *Seipsum portavit in manibus suis*, quæ habentur in versione 70 lib. 1. regum cap. 20. ait: *Hoc verò Fratres, quomodo fieri possit in homine, quis intelligitur? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur: quomodo intelligatur in ipso David, secundum litteram non invenimus; in Christo autem invenimus; ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum ait, Hoc est Corpus meum: ferebat enim illud Corpus in manibus.*

His verbis apertè declarat sanctus Augustinus, neminem posse se ferre in manibus suis, id solùm posse competere Christo Domino, qui id tunc fecit, cùm hoc Sacramentum

*De Sacram. Euchar. Cap. V. 149*

instituit, qui Corpus suum portavit, cum hoc Sacramentum portaret; quod clarè satis ostendit, Eucharistiam secundum hujus Ecclesiæ Doctoris mentem, non esse solum Corpus in figura, sed verè atque realiter: nam si foret tantum Corpus Christi in figura, omnis homo posset ita seipsum portare, quia unusquisque potest suam gestare figuram: Sanctus tamen Augustinus ait, id intelligi non posse nisi de solo Christo Domino, cum nullus alius eo modo portare se posset, quo seipsum ipse portavit.

Idem sanctus Augustinus in libro quem scripsit contra Donatistas ait *Indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia ad salutem non accipit, nihil acceperit: Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus erat, etiam illis quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indignè, judicium sibi manducat, & bibit.* Ex quibus evidenter constat, quod Christus Dominus non est in hoc Sacramento, virtute Fidei illius qui eum recipit, cum Christus Dominus sit verè & realiter in hoc Sacramento, etiamsi indignè sumatur, & ab homine non habenti fidem.

Verum clarè videmus in Generali Concilio Nicæno, hanc semper fuisse Ecclesiæ Catholicæ fidem: *Nullus enim, ait, aliquando turbatur Spiritus, sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum, in cruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem Corporis ejus: neque enim acceperunt à Domino sic dicere vel confiteri, sed audiunt Evangelicè dicentem eum; Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus san-*

S. August. lib. 5. contra Donatistas, cap. 8.

Conc. Nicæn. 11. actione 6. Tom. 3.

guinem, non intrabitis in regnum cœlorum? Et, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. *Et alibi*: Accepto pane, gratias agens fregit & dedit discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est Corpus meum. Et accipiens Calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Et non dixit: Accipite & comedite imaginem Corporis mei. Sed Paulus Divinus Apostolus, ex divinis Domini vocibus hauriens, ait*: Ego accipi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam in qua nocte tradebatur, gratias agens fregit & dixit: Accipite & comedite: Hoc est Corpus meum quod pro vobis frangitur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter Calicem postquam cœnavit, dicens: Hic Calix novum Testamentum est in meo sanguine: Hoc facite quotiescumque biberitis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & Calicem hunc biberitis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Ergo liquido demonstratum est, quod nusquam Dominus, vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine, quod per Sacerdotem offertur, sed ipsum Corpus, & ipsum sanguinem.

*Quæst. 2.* Quomodo confutari potest error Hæreticorum afferentium pronomen Hoc in forma consecrationis designare panem?

*Resp.* Patet illud, Hoc, non ex se designare panem, ut hæretici volunt, idque non solum quia esset falsa oratio, sed quia ipsa verba repugnant; dicendum enim fuisset Hic, præsertim cum immediate Panis præcessisset: Designat igitur Corpus secundum rectissimam